

Pastor Ecclesiae Dei in oppido Saxoniae Vuiteberga, & caeteri ministri Euangelij in eadem Ecclesia, salutem dicunt omnibus lectoribus has literas. Non alia uox in caelo & in terra unquam ardentior audita est, quam precatio Filij Dei in agone, in qua petit colligi & seruari Ecclesiam, & sic regi, ut unum sit in Deo. Idem inde usque ab initio generis humani, omnibus temporibus, donec uniuersa Ecclesia ex morte resuscitabitur, petit. Propter hanc Filij precatorem, cum colligat Deus Ecclesiam inter nos quoque, gratias agimus & aeterno Patri, & Filio eius, Domino nostro Iesu Christo, & Spiritui sancto, & gemitus nostros ad summi Sacerdotis nostri, Domini Iesu Christi precatorem adiungimus, & petimus, ut semper inter nos quoque colligatur aeterna Ecclesia, quod cum fiat uoce Euangelij, & non aliter, sicut scriptum est: Euangelium est potentia Dei, ad salutem omni credenti, uult Deus eligi idoneos ad docendum Euangelium. Testamur igitur hunc honestum & eruditum uirum

Cum autem a nobis petitum sit, ut explorata eius eruditione adderemus publicum ritum ordinationis, diligenter eum audiuius, & comperimus eum recte tenere summam doctrinae Christianae, & pie & constanter amplecti puritatem Euangelij, quam & Ecclesia nostra una uoce & uno spiritu cum catholica Ecclesia Christi profitetur, ac a fanaticis opinionibus damnatis iudicio catholicae Ecclesiae Christi abhorrere. Promisit etiam hic in doctrina constantiam, & in officio fidem & diligentiam. Quare ei iuxta doctrinam Apostolicam publico & pio ritu commendatum est ministerium docendi Euangelij, & administrandi Sacramenta iuxta uocationem. Cum autem Filius Dei, qui est λόγος aeterni Patris,